



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno CCCXLVII. ad annum CCCCI.

**Parisiis, 1644**

Concilium Carthaginense, Nomine Qvintvm, Ordine Temporis vero III. ab  
episcopis septuaginta tribus, circa tempora Anastasii papae, post  
consulatum Caesarii & Attici, sexto Kalendas Iunii habitum ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15256**

ANASTASIVS CARTHAGIN. V. ARCADIVS<sup>3</sup>  
P.I. HONORIVS<sup>3</sup> IMP. 557

- ANNO CHRISTI 398. Can. 22. sine consilio clericorum.] sine consilio presbyterorum suorum clericos non ordinet, ita ut ciuium connuentiam & testimonium. vtitur tamen eadem voce Can. 32. absque connuentia & subscriptione clericorum.
- Can. 27. utilitas ecclesie fiendum.] utilitas ecclesie popoferit. M.S. omittit barbarum illud, fiendum.
- Can. 32. donatio episcoporum.] donatio episcopi, &c. absque connuentia & subscriptione clericorum, vel comprouncialium episcoporum.
- Can. 43. honorandum. Etiam & per.] honorandum etiam quotidiani vietus ministerio.
- Can. 44. nec comam nutriat.] nec comam nutriat, nec barbam radat.
- Can. 45. & nec vestibus.] & ideo nec vestibus.
- Can. 47. plateas & andronas.] plateas aut andronas.
- Can. 98. nisi ipsis iubentibus.] nisi ipsis prouocantibus.

---

## CONCILIVM CARTHAGINENSE,

<sup>b</sup>NOMINE QVINTVM, ORDINE TEMPORIS  
vero III. <sup>c</sup>ab episcopis septuaginta tribus, <sup>d</sup>circa tem-  
pora Anastasi papæ, <sup>e</sup> post consulatum Cæsarii & At-  
tici, sexto Kalendas Iunii habitum <sup>f</sup>(æra 438.) Estque  
prouinciale.

Probatum a Leone quarto, d. 20. c. de libellis.

### TITVL CIPI TITVLORVM.

- I. De clericis ad testimonium non VIII. De intercessoribus, ne ca-  
pulsandis.
- II. De clericis pro criminе suo VIII. De intercessoribus, ne ca-  
damnatis, ut a quolibet non de-  
fensusentur.
- III. De sacerdotibus & Leuitis, ut VIII. De intercessoribus, ne ca-  
ab uxoribus se contineant.
- IV. De rebus ecclesiæ sine consilio VIII. De intercessoribus, ne ca-  
metropolitani episcopi non alie-  
nandis.
- V. Ut nullus episcopus relicta ca- VIII. De intercessoribus, ne ca-  
thædra, in diœcesi resideat.
- VI. De his qui nullo testimonio se VIII. De intercessoribus, ne ca-  
baptizatos nouerunt, ut bapti-  
zentur. Similiter de consecra-  
tione ecclesiæ faciendum est.
- VII. De tempore paschali seu VIII. De intercessoribus, ne ca-  
Concilii.
- VIII. De intercessoribus, ne ca-  
thædræ morientis episcopi diu  
retineant, sed infra annum sa-  
cerdotem prouideant.
- IX. De defensore ecclesiæ a  
principi postulando.
- X. Ut episcopi ad diem Concilii oc-  
currant.
- XI. Ut lapsis sacerdotibus manus,  
sicut laicis, non imponatur.
- XII. De clericis excommunicatis,  
quamdiis eis afferere liceat inno-  
centiam suam.
- XIII. De clericis vel monachis ab  
alio episcopo ordinatis.
- XIV. De basilicis qua sine marty-  
rum reliquis dedicata sunt.
- XV. De idololatriis destruendis.

Aaaa iii

**P**OST consulatum placuit, ut die sexta Kalendarum Iu-  
nii Carthagine in secretario basilicæ Restitutæ subter  
inserta statuerentur. Cum Aurelius episcopus vna cum  
episcopis suis consedisset, adstantibus diaconibus, con-  
stituta sunt hæc, quæ in sequenti Concilio definita sunt.

## CAPITVL A.

## I.

2. q. 6. Statu-  
tum est, vt  
qui in.

In principio statuendum est, ut qui forte in ec-  
clesia quamlibet causam iure apostolico ecclesiis  
imposito agere voluerit, & fortasse decisio cleri-  
corum vni parti displicerit, non liceat clericum  
in iudicium ad testimonium deuocari eum, qui  
cognitor vel præsens fuit; & nulla ad testimonium  
dicendum ecclesiastici cuiuslibet persona pulsetur.

## II.

21. qu. 5. Si  
quis cuius-  
libet bono.

Et illud statuendum, ut si quis cuiuslibet hono-  
ris clericus, iudicio episcorum pro quocumque  
crimine fuerit damnatus, non liceat eum, siue ab  
ecclesiis quibus præfuit, siue a quolibet homine  
defensari, interposita poena damni, pecunia at-  
que honoris, quo nec ætatem, nec sexum excu-  
sandum esse præcipimus.

## III.

Afric. c. 37.  
Cod. Can.  
c. 25. supra.  
Dist. 84.  
Cū de quo-  
rumdam.  
Dist. 32.  
Placuit epi-  
scopis, pre-  
byt. diac.

Præterea cum de quorumdam clericorum,  
quamuis erga vxores proprias, incontinentia re-  
ferretur, placuit episcopos & presbyteros & dia-  
conos, secundum \* propria statuta, etiam ab u-  
xoribus continere. Quod nisi fecerint, ab ec-  
clesiastico remoueantur officio. Ceteros autem  
clericos ad hoc non cogi, sed secundum vni-  
cuiusque ecclesiæ consuetudinem obseruari de-  
bere.

ANNO  
CHRISTI  
398.

I V.

Placuit etiam , vt rem ecclesiæ nemo vendat.  
Quod si aliqua necessitas cogit, hanc insinuandam  
esse primati prouincia ipsius , vt cum statuto nu-  
mero episcoporum , vtrum faciendum sit , arbitre-  
tur. Quod si tanta vrget necessitas ecclesiæ , vt non  
possit ante primatem consulere , saltem \* post fa-  
ctum curiositatem habeat & vicinis episcopis hoc  
ante indicare , & ad Concilium referre cat suæ ec-  
clesiæ necessitates. Quod si non fecerit , reus \* Con-  
cilii venditor teneatur.

Cod. Can.  
c. 26. supra.  
17. q. 4.  
Nullus res  
ecclesiæ.

\* vicinos  
testes cō-  
uocet e-  
piscopos,  
curans &  
\* Deo &  
Concilio  
venditor

V.

Placuit, vt nemini sit facultas , relicta principali  
cathedra , ad aliquam ecclesiam in dioceſi consti-  
tutam se conferre , vel in re propria diutius quam  
oportet , constitutum , curam vel frequentationem  
propriæ cathedræ negligere.

Conc. Afr.  
7. 38.  
c. q. 1. Pla-  
cuit vt ne-  
mini.

VI.

Placuit de infantibus , quoties non inueniun-  
tur certissimi testes , qui eos baptizatos esse sine du-  
bitatione testentur , neque ipsi sunt per ætatem i-  
donei de traditis sibi sacramentis respondere , abs-  
que vlo scrupulo eos esse baptizandos , ne ista tre-  
pidatio eos faciat sacramentorum purgatione pri-  
uari. Hinc enim legati Maurorum fratres nostri  
consuluerunt , quia multos tales a barbaris redi-  
munt. Similiter & de ecclesiis ( quoties super ea-  
rum consecratione hæsitatur ) agendum est , id est ,  
vt sine vlla trepidatione consecrentur.

Conc. Afr.  
c. 39.  
De consecr.  
diff. 4. Pla-  
cuit de in-  
fantibus.

VII.

Placuit , vt dies venerabilis Paschæ , formatarum

Conc. Afr.  
c. 40.

De consecr.  
dist. 5. Pla-  
cuit ut dies  
venerabilis.

subscriptione omnibus intimetur : dies vero Con-  
cilii , vndeclimo Kalendarum Nouembris serue-  
tur : & scribendum ad singularum quarumcum-  
que prouinciarum primates , vt quando apud se  
Concilium congregant , istum diem non impe-  
diant.

## VIII.

Conc. Afr.  
c. 41.  
7. q. 1. Con-  
stitutum est  
ut nulli.  
23. q. 3. Ab  
imperatori-  
bus vnuer-  
fis.

Item constitutum est , vt nulli intercessori lici-  
tum sit cathedram , cui intercessor datus est , qui-  
buslibet populorum studiis vel seditionibus re-  
tinere , sed dare operam , vt intra annum eisdem  
episcopum prouideat. Quod si neglexerit , anno  
exempto , interuentor alius tribuatur.

## IX.

Conc. Afr.  
c. 42.

Ab imperatoribus vniuersis visum est postulan-  
dum propter afflictionem pauperum , quorum  
molestiis sine intermissione fatigatur ecclesia , ^ vt  
defensores eis aduersus potentias diuitum cum e-  
piscoporum prouisione delegentur.

## X.

Conc. Afr.  
c. 43.  
Dist. 18. Pla-  
cuit , ut  
quoties-  
cumque.

Item placuit , vt quotiescumque congregan-  
dum est Concilium , episcopi qui neque aetate , ne-  
que aegritudine , neque alia grauiori necessitate  
impediuntur , competenter occurrant , primati-  
busque suarum quarumcumque prouinciarum in-  
timetur , vt de vniuersis episcopis vel duæ , vel  
tres fiant turmæ , ac de singulis turmis vicissim ,  
quotquot electi fuerint , ad diem Concilii instanti-  
fime occurrant. Quod si non potuerint occurre-  
re , excusationes suas in tractatoria subscribant : vel  
si post aduentum tractatoriaæ aliquæ necessitates  
repente

ANASTASIUS CARTHAGIN. V. ARCADIVS<sup>2</sup> HONORIVS<sup>3</sup> IMP. 561  
P. I.

ANNO CHRISTI 398.  
repente forsitan ortæ fuerint , nisi rationem impeditimenti sui apud suum primatem reddiderint , \* ab ecclesiæ communione debere esse contemptos.

\* Ecclesiæ fuit communione debere esse contemtos.

X I.

Item confirmatum est , vt si quando presbyteri vel diaconi in aliqua grauiori culpa conuicti fuerint , qua eos a ministerio necesse fuerit remoueri , non eis manus , tamquam pœnitentibus , vel tamquam fidelibus laicis , imponatur , neque vñquam permittendum , vt rebaptizati , ad clericatus gradum promoueantur.

X II.

Rursus constitutum est , vt quoties clericis conuictis & confessis in aliquo crimine , vel propter eorum , quorum verecundiæ parcitur , vel propter ecclesiæ opprobrium , aut insolentem insultationem hæreticorum atque gentilium , si forte causa suæ adesse voluerint , & innocentiam suam asserere , intra annum excommunicationis hoc faciant . Si vero intra annum causam suam purgare contempserint , nulla eorum vox postea penitus audiatur.

X III.

Item placuit , vt si quis de alterius monasterio repertum , vel ad clericatum promouere voluerit , vel in suo monasterio maiorem monasterii constitutere ; episcopus qui hoc fecerit , a ceterorum communione seiuictus , suæ tantum plebis communione contentus sit : & ille neque clericus , neque præpositus perseueret.

Concil. Tom. 3.

B b b b

Cod. Can.  
27.  
Conc. Afr.  
c. 46. 11. q. 3.  
Rursus constitutum est.

Conc. Afr.  
c. 47.  
Diff. 58. Si  
quis de al-  
terius.

## XIV.

Conc. Afr.  
c. 50.  
De confecr.  
diff. 1. Pla-  
cuit ut alta-  
ria quæ.

<sup>ANNO  
CHAREN  
50</sup>  
Item placuit, vt altaria quæ passim per agros aut vias, tamquam memoriae martyrum constituuntur, in quibus nullum corpus aut reliquiae martyrum conditæ probantur, ab episcopis, qui eisdem locis præsunt, si fieri potest, euertantur. Si autem hoc propter tumultus populares non finitur, plebes tamen admoneantur, ne illa loca frequentent, vt qui recte sapiunt, nulla ibi superstitione deuincti teneantur. Et omnino nulla memoria martyrum probabiliter acceptetur, nisi aut ibi corpus, aut aliquæ certæ reliquiae sint, aut ubi origo alicuius habitationis, vel possessionis, vel passionis fidelissima origine traditur. Nam quæ personalia & per inanes quasi reuelationes quorumlibet hominum ubique constituuntur altaria, omnimode reprobentur.

## XV.

Conc. Afr.  
c. 51.

Item placuit, ab imperatoribus gloriofissimis peti, vt reliquiae idolatriæ non solum in simulacris, sed in quibuscumque locis, vel lucis, vel arboribus omnimode deleantur. Aurelius episcopus ecclesiæ Carthaginensis, supra comprehensis in nostro Concilio statutis subscripsi. Similiter septuaginta duo episcopi subscripserunt.

Græcolatina editio horum Canonum ex codice Canonum sumpta, extat partim supra post Concilium Carthag. III. partim infra in Concilio Africano sub Cœlestino papa.

## NOTÆ.

Causa cele-  
brati Con-  
cilii.

<sup>a</sup> *Concilium Carthaginense.*] Celebratum est ad disciplinam Africanae ecclesiæ restaurandam, & mores eiusdem corruptos reformatos; vt singulorum Canonum titulos intuenti patet.

<sup>b</sup> *Nomine quintum, &c.*] Concilium Carthaginense nomine se-

ANNO CHRISTI 398. cundum, vere inter omnia alia postremum esse, adeoque post illam Synodum sub consulatu Cæsarii & Attici Carthagine habitam, hanc tertio ordine celebratam fuisse, temporis ratio utroque superaddita demonstrat. Vtraque quidem habita est anno eodem, sed diversis mensibus. Illa mensa Nouembri, hæc sexto Kalendas Iunii. Ne Concilia apud auctores hoc nomine & ordine antiquo allegata lectori confusionem afferant, nomen ordinemque antiquum retinere voluimus, satis fore iudicantes, si collectoris errorem in notis ostenderimus.

<sup>c</sup> *Ab episcopis 73.] Non septuaginta tantum, sed septuaginta tres Numerus episcoporum Concilio interfuisse & subscripsisse, infra Canone ultimo patet.*

<sup>d</sup> *Circa tempora Anastasi.] Anno pontificatus Anastasi primo, qui est Arcadii & Honorii imperatorum quartus, & Christi nati 398. Annus enim ille, qui post consulatum Cæsarii & Attici inscribitur, cum predictis temporibus coincidit. Baron. anno 398.*

<sup>e</sup> *Post consulatum Cæsarii & Attici.] Hæc ex scripto codice addidit Baron. anno 398. num. 33. & merito: ante enim quam Honorius imperator edictum de reliquiis idolatriæ tollendis promulgasset, hanc Synodum celebratam fuisse constat. Nam ad petitio- nem legatorum, quos inter alias causas patres Concilii ad imperato- rem ablegaverant, de reliquiis idolatriæ extirpandis, edictum imperatoris extorserunt.*

<sup>f</sup> *Aera 438.] Sicut aliis plerisque in locis, ita hic etiam mendosus Numerus aerae trigesimæ octauæ inhæret. Nam si triginta octo, qui aera computatio chronologiam nati Christi excedit, ab ea de- mas, remanebunt anni 400. Vnde sequeretur hanc Synodum anno 400. habitam fuisse, quam 398. celebratam esse, ex praecedenti- bus patet.*

<sup>g</sup> *Secundum propria statuta.] id est, secundum legem in prioribus Carthaginenibus Conciliis conditam. Quædam alia lectio melior habet: Secundum priora statuta. Græci hæc verba male intelligentes, verterunt καὶ τὸν ιδίους ὄποις. Hac translatione nostri temporis hæretici calibatum clericorum impugnant, quasi huius Canonis auctoritate clerici ab vxoribus in ordine tantum vicis suæ abstinere deberent, reliquis vero temporibus iisdem maritali confortio cohabitare liceret. Quam incepte, nemo non videt. Siquidem præter hoc, quod maior sit auctoritas Latinae editionis, quam Græcæ translationis, prædicta verba exponi possent, secundum proprias regulas ac leges. ὄποις enim non tantum significat terminum, sed etiam regulam ac præceptum. Hoc Concilio omnem usum vxorum sacrissimorum hominibus prohiberi, ex sancto Augustino lib. 2. de adulterinis coniugiiis, qui huic Concilio interfuit, liquidissime patet. Vide Bellarm. lib. 1. de clericis, cap. 21. &c.*

<sup>h</sup> *Vt defensores.] Defensores pauperum ad petitionem patrum hac Synodo congregatorum, rescripto imperatorum in Africa aliisve ecclesiis constitutos fuisse, eosque in posterum perseverasse, Possidius*

*Concil. Tom. 3.*

Bbbb ij

Quo mense & die habi- tum fuerit.

Quo anno Christi, pō- tificis & im- peratoris. Legati de extirpanda idolatria edictum im- peratoris impetrant.

Clericis v- fus vxorum interdic- tur.

Can. 9. Defensores pauperum.

in vita sancti Augustini cap. 12. sanctus Gregorius per multas epistles testantur. Baron. anno 398. num. 33.

Can. 15.  
Quis &  
quatus ter-  
minus Chri-  
stianae reli-  
gionis a fal-  
lo oraculo  
præscriptus.

<sup>1</sup> *Vt reliquia idolatriæ, &c.]* Hic Canon a patribus huius Concilii editus fuit hac occasione: Gentiles ut cultores idolorum suorum in officio continerent, ex diuinis oraculis & responsis acceptis iactabant fore, ut in fine anni 365. a passione Christi, qui est natus Saluatoris 398. Christiana religio plane extirparetur, finemque ultimum acciperet. Qua de re hæc August. lib. 18. Can. cap. vlt. Cum enim viderent (gentiles) nec tot tantisque persecutionibus eam (Christianam religionem) potuisse consumi, sed his potius mira incrementa sumpsiſſe, excogitauerunt neſcio quos versus Gracos, tamquam consulenti cuidam diuino oraculo effusos, ubi Christum quidem ab huius tamquam sacrilegii crimine faciunt innocentem, Petrum autem maleſicia fecisse ſubiungunt, ut coleretur Christi nomen per annos trecentos sexaginta quinque; deinde completo memorato numero annorum, sine mora ſumeret finem. Ut ergo vanitas & stultitia ethnicorum, falsitas oraculorum gentilium toti mundo innotesceret, atque adeo ipsi radicibus euellerentur, qui Christianam religionem extinctam exoptabant, per deputatam ad comitatum legationem petuerunt, reliquias idolatriæ extirpari. Arcadius & Honorius petitionem æquam esse iudicantes, promulgatis edictis per orientem & occidentem, Manlio Theodoro confule, anno nimirum Christi 399. omnes idolatriæ reliquias sustulerunt, simulacra fregerunt, sacrificia gentilium prohibuerunt, corumque templa funditus euerterunt: verum cum clarissima ædificia omnino euerſa, yrbibus immensam deformitatem adderent, posterioribus edictis rescripsere, ut omni gentilitate sublata, publicorum operum ornamenta feruarentur. Vide Baron. anno 399. num. 18. 20. & 21. Item anno 399. num. 34. & sequentibus.

Arcadius &  
Honorius  
imper. ido-  
lolatriam  
radicibus e-  
xelli inbet.

## ALEXANDRINA SYNODVS S V B A N A S T A S I O.

*in qua Origenistæ damnantur.*

### N O T A E.

Causa C6-  
cili.  
Melania in  
Christianos  
exules be-  
nevolentia. *\* Alexandrina.]* Causam habitu Concilii exponam a primo initio. Melania Romanarum nobilissima, quæ tempore persecutionis Valentinis quinque millia monachorum occultarat, triduoque panibus suis sustentauerat, relegatos magno fidei ardore prosecuta est, ut de suis facultatibus iisdem vitæ ſubſidia ministraret. Quibus ab exilio reuocatis, ipſa monasterium Hierosolymis ſibi conſtruxit, in quo preter 50. virgines ſecum habitantes, 27. annis sanctos & peregrinos episcopos, monachos & virgines ex voto ſuſcepit & fouit. Qua occaſione accidit, ut ipſa cum Rufino a cæco, ſed eruditio & magni-